

tione voluntatis saltem per additionem alterius actus, quæ omnia non possunt hoc loco latius explicari donec in particulari fusius tractentur, in disput. 8, et tunc etiam clariora erunt omnia quæ in superioribus opinionibus insinuavi.

## SECTIO IV.

*Quotuplex sit bonitas in actu interiori voluntatis.*

1. Ratio dubii esse potest, quia D. Thomas, 1, 2, q. 18, a. 4, dicit quatuor esse bonitates in actu humano, una est secundum genus prout est actio, alia secundum speciem prout ad tale objectum tendit, tertia ex circumstantiis, quarta ex fine. Eadem fere doctrinam habet, in 2, dist. 36, a. 5, in corp., quamvis in modo loquendi nonnihil differat, nam bonitatem ex objecto vocat quasi genericam, ex circumstantiis autem, specificam. Divum Thomam autem imitatus est Scotus, in 2, d. 40, quæst. unica, et quodlib. 18, ubi significat illas quatuor bonitates esse quasi partiales, et singulas per se sumptas tantum esse bonitates secundum quid, ex omnibus autem conflari bonitatem simpliciter actus. Verum est hos auctores non loqui in particulari de actibus internis, sed in communi de actu humano: unde facilius posset accommodari illa doctrina ad actum externum prout ex se habet bonitatem objectivam, ut supra dictum est. Nihilominus multi Thomistæ eam etiam intelligunt de actibus interioribus, in quibus distinguunt re ipsa quatuor illas bonitates partiales, adeo ut a parte rei sit una separabilis ab alia, nam potest manere idem actus secundum substantiam bonus solum bonitate actus ut sic, sine ulla bonitate ex objecto formali: et hæc rursus esse potest sine bonitate ex circumstantiis; et tandem bonitatem simpliciter actus componi ex his omnibus, quia sine illis non erit actus simpliciter bonus.

2. Hæc sententia sic exposita mihi valde displicet in multis. Primum enim bonitas illa prima, quæ consistit in ratione actus, seu actionis ut sic, revera non est honesta bonitas de qua loquimur, quia de se communis est et indifferens ad actum honestum et turpem etiam intrinsece: cum tamen in actu intrinsece malo nulla sit proprie bonitas honesta, imo neque in actu indifferenti ex objecto ut talis est, nam ideo est indifferens, quia omni caret honestate et malitia: et ideo recte dixit Scotus, dicto quodlib., actum humanum ut humanum, primo determinari ex objecto honesto, ad honestum

ut sic. Scio Cajetanum, 1, 2, q. 18, a. 8, ad 1, dicere omnem actum voluntatis, quantumvis malum habere aliquam bonitatem moralem saltem ex parte finis universalissimi, quia scilicet omnis actus tendit aliquo modo in beatitudinem et finem ultimum, juxta dicta in tract. 1. Sed hoc valde improprie dictum est, quia illa relatio in finem ultimum non est ab operante, sed ex natura ipsius actus, seu entitatis, et ideo non pertinet ad formalem bonitatem et honestatem operantis, sed solum ad naturalem entitatis illius bonitatem, quæ potest etiam denominari moralis, id est, libere facta per extrinsecam denominationem, ut sæpe dictum est: non tamen bonitas moralis honesta, de qua nunc agimus, quia quando actus est ita malus, nullam habet per se convenientiam cum recta ratione, seu natura rationali, neque intendere illo modo implicito, finem ultimum in tali particulari bono est per se decens aut conveniens homini: neque D. Thomas aut Scotus supra relati, numerarunt illam tanquam bonitatem moralem, sed ut bonitatem naturalem, quæ secundum rationem prima est, et quasi fundamentum honestatis moralis.

3. Secundo displicet illa sententia in quantum in omni actu interiori requirit illas quatuor bonitates ut sit bonus simpliciter. Primo, nam esto demus in aliquo reperiri, non sunt tamen omnes necessariae, nam, teste D. Thoma 1, 2, quæst. 19, art. 1 et 2, sufficere potest bonitas ex objecto sine circumstantiis proprie dictis, et sine extrinseco, dummodo nulla sit aliunde adjuncta malitia: et actus indifferens ex objecto potest esse simpliciter bonus ex solo fine, quamvis ex objecto et circumstantiis nullam habeat bonitatem. Tertio displicet in eo quod ait, quando concurrunt hæc bonitates in actu re ipsa semper distingui et separari posse, et tamen componere unam bonitatem: tum quia ostendam inferius bonitatem primam naturalem, et honestatem sumptam ex objecto, in re non distingui, sed ratione, ut ratio generalissima et generica: sicut in habitibus se habent habitus ratio et ratio virtutis: et fere idem ostendam de bonitate ex objecto, et circumstantiis in actu interiori, quæ se habeant tantum sicut species et individuum: tum etiam, quia si aliqua ex his bonitatibus re ipsa distinguuntur in actu interiori, tunc non componunt unam, sed sunt sicut duo accidentia specie diversa in eodem subjecto, quales esse possunt bonitates sumptæ ex pluribus finibus extrinsecis: aut se habebunt sicut substantia

et accidens, ut si una sit bonitas ex objecto, alia ex fine, quia ex objecto sumitur substantia actus, finis vero accidit illi, ut latius infra, disp. 6.

4. Alio ergo modo extreme contrario potest prædicta sententia exponi, nempe quia illa quatuor numerentur solum ut ratione distincta: bonitas autem in re sit una et simplex. Cujus rei fundamentum esse potest, quia talis est rei bonitas, qualis entitas: sed entitas actus interioris est in se simplex: unde D. Thomas, 1, 2, quæst. 19, art. 2, hanc videtur constituere differentiam inter actum internum et externum, quia externi bonitas, quia est inferioris rationis, consurgit ex multis: interioris autem bonitas, quæ est superioris ordinis sumitur ex una simplici habitudine ad objectum: quia si respicit circumstantias, vel finem, solum est in quantum componunt aliquo modo unum objectum. Et potest hoc confirmari, quia bonitas ex objecto et fine se habet sicut genus et differentia, teste D. Thoma 1, 2, quæst. 18, art. 7, et eodem modo comparatur bonitas ex objecto et ex aliis circumstantiis, ex eodem D. Thoma, citato loco, in 2 sententia.

5. Hæc vero sententia licet in aliqua re, vera esse possit, non tamen simpliciter et in omnibus, quia certum est aliquam bonitatem posse esse substantialem, et aliquam accidentalem in actu interiori, quæ in re ipsa sunt distinctæ et separabiles, ut patet aperte de bonitate ex objecto et ex fine, ut sentit etiam D. Thomas 1, 2, quæst. 19, art. 2, ad 2, et quæst. 18, art. 7, ubi loquendo de fine per accidens dicit ab illo sumi speciem accidentalem: quod vero ibi ait, a fine per se ordinato sumi genericam differentiam, non est contra id quod modo agimus, quia non dicimus ex illo fine multiplicari bonitates, sed ex fine extrinseco accidentali ut sic: quo modo autem illud sit intelligendum, dicemus, disp. 6.

6. Ut ergo quæstioni respondeam, suppono in actu interiori primo esse considerandam honestatem illam, seu rationem virtutis, a qua et ipse habet ut bonus et perfectus sit, et quod operantem bonum, seu studiosum denominet et constituat: quam bonitatem diximus supra consistere in ipso esse virtutis, sive consideretur ut in se est quoddam esse perfectum, sive ut est conveniens naturæ rationali: et sic hæc duo pro eodem computamus, quia, ut dixi, sola ratione distinguuntur: et hoc significamus nomine *formalis honestatis*, ut loquuntur omnes theologi: ex hac vero bonitate consequun-

tur in actu humano et libero quædam aliæ proprietates, seu dignitates morales: quæ possunt etiam dici bonitates quædam; hujusmodi sunt conformitas ad legem, quæ si non sit per se intenta, non addit formalem bonitatem proprie sumptam, ut supra dixi, est tamen dignitas quædam, et quasi objectiva quædam bonitas quæ per se posset amari et intendi. Alia proprietas est ratio meriti, seu moralis valor operis, vel ad merendum, vel ad impetrandum, vel ad satisfaciendum: et inter hæc etiam annumeratur laudabilitas operis, de quibus proprietatibus tractat D. Thomas 1, 2, quæst. 21, et de eis aliquid dicemus, disputatione 5, nunc enim non censemur ratione illarum multiplicari bonitates actus interioris: imo neque augeri, quia propter has proprietates non redditur homo melior, aut sanctior, sed potius ipsæ consequuntur ex illa bonitate formali, qua homo fit sanctus et bonus in actu secundo. Superest ergo ut de ipso esse virtutis solum explicemus quotuplex esse possit in actibus voluntatis.

7. *Prima assertio.* — Dicendum primo, generatim loquendo, duplex tantum genus bonitatis potest in actibus voluntatis reperiri: unum est per intrinsecam perfectionem et entitatem ipsius actus: aliud est per extrinsecam denominationem ab alio actu ejusdem voluntatis. Probatur et imprimis quod unus actus esse possit bonus per denominationem ab alio, sufficiens argumentum sumitur ex actibus exterioribus, hi enim quatenus sunt actus boni vel mali denominantur solum quatenus a bona vel mala voluntate procedunt et imperantur, ut latius 1, 2, quæst. 20, sed eodem modo potest unus actus voluntatis ab alio imperari, sic enim charitas cæteris virtutibus imperat, et inter reliquas virtutes potest esse mutuum imperium: ergo actus etiam voluntatis si ab alio actu bono imperetur, poterit ab illo bonus denominari, ut recte Cajetanus notavit 1, 2, quæst. 18, art. 6, explicans D. Thomam ibi in corp., et ad 2, quod nomine *actus exterioris* hac ratione comprehendat etiam actum ipsius voluntatis, qui ab alia imperatur quatenus imperatus est: nomine autem *actuum interiorum* solum significet actum voluntatis elicatum ut sic. Confirmatur, nam actus interior indifferens ex objecto, potest in particulari esse simpliciter bonus ex relatione ad finem extrinsecum bonum, quæ relatio, ut infra ostendam, nihil est in illo, nisi denominatio ab actu imperante: ergo hæc sufficit ad dandam aliquam bonitatem actui voluntatis: et ratio a priori

est, quia actus imperans est veluti moralis forma actus imperati, et ideo moraliter perficit illum, et bonum constituit si ipse bonus sit.

8. *Notatio una circa assertionem positam.*—*Notatio altera.*—Deinde addo ulterius, ac noto primo, non posse actum voluntatis esse bonum per extrinsecam denominationem sumptam ab alia forma, quam ab actu ejusdem voluntatis: itaque quamvis hæc denominatio possit esse extrinseca, comparatione actus ad actum, tamen respectu operantis debet esse a forma illi intrinseca, et ab eo elicita. Probatur primo, quia omnis hæc bonitas est actualis: ergo debet esse per actum secundum ab operante elicita. Item debet esse voluntaria, quia bonum et malum morale formale non potest esse, nisi sit voluntarium, quia voluntate peccatur, aut bene vivitur: ergo oportet ut illa bonitas a qua denominatur quilibet actus bonus moraliter formaliter, sit in aliquo actu voluntatis. Et confirmatur primo, quia si voluntas faceret actum, et denominatio boni resultaret a forma extrinseca quæ ad ipsam voluntatem non pertineret, talis bonitas non esset a voluntate: ergo non operaretur bonum ut bonum est: ergo non efficeretur bona formaliter per talem actum. Confirmatur secundo, quia ut voluntas sit bona, necesse est ut tendat aliquo modo in honestum ut sic: unde Augustinus 1, de lib. Arb., cap. 12: *Quid est (inquit) bona voluntas?* respondet, *est voluntas qua appetimus recte honesteque vivere;* ergo ut actus sit bonus, necesse est ut in honestum, ut honestum saltem, ab illa referatur: non potest autem ita referri nisi per alium actum ejusdem voluntatis, quia solius voluntatis est tendere in bonum sub ratione boni perfectissimi, quale est honestum. Nota quod hinc etiam obiter constat non posse hanc denominationem sumi ab ipsa potentia voluntatis, sicut supra dicebamus de *esse morali*, seu *libero*, quia habitudo ad hujusmodi potentiam de se est indifferens, et communis actui bono et malo, et quia potentia per se ipsam nude non potest tendere in honestum ut sic. Ex his ergo concluditur, et noto tertio, necessarium esse ut præter hunc bonitatis modum sit in voluntate aliquis actus, qui per se et intrinsece bonus sit sine denominatione ab alio. Probatur aperte, quia neque unus actus potest denominari ab alio bonus, nisi etiam ille alius bonus sit, ut patet de actu exteriori respectu interioris: neque in hoc potest procedi in infinitum: ergo necessarium est sistere in aliquo actu qui per se bonus sit. Confirmatur exemplo

voluntarii, nam quia unus actus potest denominari voluntarius ab alio actu voluntario, ideo necesse est ut aliquis actus, nempe interior voluntatis sit per se seipsum intrinsece voluntarius, quia neque potest procedi in infinitum, neque illa denominatio potest a sola nuda potentia sumi: ita vero est in proposito.

9. *Concluditur ex dictis institutum primæ assertionis quoad partem affirmativam.*—Constat igitur ex his dari in actibus voluntatis duplicem illum modum bonitatis. Quod vero præter hos non possit alius excogitari, facile potest ex dictis concludi, quia nullus alius actus potest esse per se bonus, nisi actus voluntatis, quia nullus alius est per se voluntarius attingens honestum sub ratione honesti: neque etiam potest actus voluntatis proprie ab alio imperari, nisi ab ipsa voluntate, nam ipsa movet alias potentias ad usum actus: ipsa autem non movetur ab alia, sed se ipsam movet et applicat. Denique inter ipsos actus voluntatis non potest reperiri alia habitudo, quia omnis actus a voluntate elicita, vel est tantum elicita et imperata: et quatenus elicita potest habere bonitatem intrinsecam: quatenus imperata vero, extrinsecam: non est ergo aliud bonitatis genus. Quæres, quatenus imperans poteritne habere aliquam specialem bonitatem. Respondetur, si sit proprie et directe imperans actum bonum, ea ratione poterit esse bonus, tamen illa erit bonitas intrinseca, quia actus imperans non respicit imperatum tanquam formam extrinsece denominantem, sed tanquam objectum a quo sumit intrinsecam bonitatem: sicut patet manifeste in actu interiori respectu exterioris, quem imperat non aliter, quam volendo illum.

10. *Secunda assertio.*—Ex hac prima conclusione sequitur secunda, scilicet hoc duplex bonitatis genus posse interdum eidem actui interiori convenire, non quod hoc sit necessarium ut actus sit absolute et simpliciter bonus, nam, ut supra dixi, si actus habeat bonitatem aliquam honestam, et nullam malitiam, dicitur absolute bonus: potest autem habere alterutram ex dictis bonitatibus absque ulla malitia, quia potest habere bonum objectum sine ullo fine accidentario ex extrinseco ab operante intento, et e contrario potest referri in finem bonum, etiam si ex objecto bonitatem non habeat: sensus ergo solum est posse hanc duplicem bonitatem simul inveniri in eodem numero actu. Quod facile suadet, quia potest idem actus habere et objectum bonum, et præterea referri in finem extrinsecum diversam

bonitatem habentem: unde etiam potest idem actus ab una virtute elici. Unde intelligitur, quando hæc duæ bonitates conjunguntur in eodem actu, licet denominent illum undequaque bonum, non tamen componere proprie unam virtutem, sed solum conjungi aut sicut essentia et accidens, aut sicut duo accidentia in eodem subjecto. Hoc facile patet; tum quia illæ bonitates sunt omnino diversarum rationum, quia una est intrinseca, alia extrinseca: tum etiam quia non se habent ut genus et differentia: et distinguuntur realiter, et potest una manere sine alia, et e contrario, et unaquæque sola manens retinet suum proprium genus et speciem, ut facile potest exemplis colligi. Neque etiam alio modo physice componi unam bonitatem, neque essentialiter, neque accidentaliter, quia, ut dixi, realiter distinguuntur, et nullum genus unionis inter se habent, nisi ratione subjecti. Est autem notanda differentia inter has bonitates respectu ejusdem actus, quod illa quæ est intrinseca, est una tantum extrinsecæ vero multiplicari possunt, ut latius infra. Nunc breviter ratio est clara, quia entitas rei est unica, denominationes autem extrinsecæ possunt esse plures. Item quia intrinsecus ac per se terminus uniuscujusque actionis est unus tantum, remoti autem et extrinseci possunt esse plures, et ita in præsentem unus actus solum habet per se unum objectum; potest autem habere extrinsecos fines multiplices, et ita ab una tantum virtute elici potest, cum tamen possit a pluribus imperari.

11. *Assertio ultima qua satisfit directe sententiæ positæ in numero.*—Ultimo constat ex dictis quo sensu intelligenda et explicanda sit illa quadruplex bonitas, quæ tribuitur actui humano, si applicetur ad actum interiorem, non est enim intelligendum illa quatuor membra semper reipsa distingui, sed vel realiter, vel ratione, vel abstractione intellectus; nam, ut ex dictis sumi potest, et ex dicendis latius constabit, tria priora membra, nempe bonitas entitativa actus, et ex objecto, et ex circumstantiis, in re non distinguuntur, sed virtualiter tantum ut genus, et species, et individuum, bonitas autem ex fine addit accidentalem et extrinsecam bonitatem: et ita etiam obiter constat sufficientia illius numerationis, in qua etiam prima illa bonitas naturalis posita est tanquam primum fundamentum, et commune omnibus actibus voluntatis, et ideo de illa nihil dicendum superest. Tria autem alia membra addita sunt ad explicanda tria præcipua capita

totius bonitatis, quæ sunt objectum, circumstantiæ et finis, de quibus a nobis sigillatim disputandum est ad hujus materiæ complementum.

## DISPUTATIO IV.

## DE BONITATE ACTUS INTERIORIS EX OBJECTO.

Materiam hanc tractat in communi D. Thomas 1, 2, quæst. 48, art. 2, et nonnihil etiam attingit, art. 5 et 6, in particulari vero de actu interiori, quæst. 49, art. 1 et 2, quos omnes magna ex parte nunc explicabo. Suppono autem nomine *bonitatis* me intelligere ipsam perfectionem actus, sive consideretur ut in se est quædam bonitas, sive ut est homini conveniens, quia hæc non variant, neque distinguunt rem, ut supra dictum est.

## SECTIO I.

*Utrum actus interior sumat suæ bonitatis speciem ex objecto.*

1. Imprimis sumo ut certum non intelligi quæstionem generatim de omnibus actibus bonis voluntatis, quia ut paulo antea dixi, non oportet ut omnes sint boni ex objecto: procedit ergo solum de actibus habentibus bonum objectum et per se honestum: de quibus est secundo certum accipere aliquam bonitatem ex objecto; in quo conveniunt omnes theologî, quia præcipua habitudo actus immanentis est ad objectum: unde de malis dictum est, *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*, Osee 9, 10, quod eadem ratione dici potest de bonis. Difficultas ergo superest de specificatione bonitatis, an sumenda sit ex objecto, et sub qua ratione: et ratio dubii esse potest primo, quia actus morales sumunt speciem ex fine, teste D. Thoma 1, 2, quæst. 1, art. 3, et quæst. 48, art. 5, sed objectum distinguitur a fine in his actibus: ergo non sumunt speciem ex objecto. Secundo, quia hi actus (*volo honeste vivere*, aut *justitiam servare*) sunt boni in aliqua specie bonitatis, et tamen non possunt illam ab objecto sumere, quia objectum est generalissimum, et commune omnibus virtutibus. Tertio, sæpe actu interior est bonus ex objecto, et tamen in objecto non est certa bonitatis species, sed est indifferens ad plures, ut dare decem Petro, est indifferens ad bonitatem materiæ libertatis, vel justitiæ, et Deus, verbi gratia, est indiffe-